



* Diese Ausg. 10 g
Lg

1035

Q. D. B. V. 6
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
AFFECTIONIS
CAUSA IN SYLLO-
GISMO DEMON-
STRATIVO,

Quam
In Illustri Salana
Permissu Amplissima & Spectatissima Facul-
tatis Philosophicae

PRÆSES
M. JOHANNES KIESEWET-
TER, Erich. Thur.

Respondente
JOHANNES CHRISTOPHORO Hundeshagen/
Mülhufinô Thur.

Publico Eruditorum examini exponit
ad diem XIX Novemb.
In Auditorio Philosophorum
Horis solitis.

J E N Æ
Typis JOHANNIS NISII, Anno M. DC. LVII.

6.
Sp. M. Call...

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
AFFECTIONIS
CAUSAM SYLLO
GISMO DEMON

STRATIO
Johann. Klessew. Wet.
P. 1788

JOHANNES CHRISTOPH. WETZEL
in Androni Philosophorum
P. 1788

APRILIS MDCCLXXVIII

fr. a. 1788



I. N. J. C.

§. 1.

In signem librorum, qui ab *Aristotele* insigniuntur *Analyticorum*, utilitatem verbis *Simplicii*, ut citat eum *Mich. Piccartus* in *Organo Aristoteleo*, in *prior. Anal. lib. 1. p. m. 460.* exponimus ita: quemadmodum, qui ad *Circen* accedunt, nisi *moly* herbam secum ferant, incantationibus ejusdem circumveniuntur; ita qui ad disputationes *Philosophicas* accedunt aut *Philosophorum scripta*, nisi horum librorum doctrinam premuniti sunt, nihil agunt: afferunt enim solum *λόγος ἀλαζόνας*, ut *plato* ait, & *judicium ineptum*, neque sensus reconditiores sapiunt.

§. 2. Igitur de nobilissima hac doctrina, & quidem in specie de demonstratione aliquid dicturi atque *Aristotelis* vestigia secuturi, statim moneri posse censemus, demonstrationem, quam *Græci* *ἀπόδειξις* appellitant, esse, ut eorum vocabulis utamur, *ἐν τῶν πολλὰ χῶς λεγομένων*; interdum enim demonstrationis vox ea adhibetur significatione, ut demonstrationem non ostensivam comprehendat, quod sensu etiam *Aristoteles* syllogismum ad impossibile ducentem *ἀπόδειξις* appellat, *lib. 2. prior. anal. c. 14.* Alias vocis hujus acceptiones, cum ea instituto nostro parum inferviant, studio præterimus.

§. 3. Nos hac vice talem intelligi volumus demonstrationem, quæ propriè dictam scientiam gignit, quâ nempe unamquamque rem simpliciter, non *Sophisticò* modò, seu ex accidente, cognoscimus; de qua nimirum *Arist.* *lib. 1. post. c. 11. 1. 8.* *ἀπόδειξις ἢ*, inquit, *λέγω συλλογισμὸν ἐπιστημονικὸν ἐπιστημονικὸν ἢ λέγω, καὶ ἔν τῷ ἔχειν αὐτὸν ἐπιστήμην* h. e. demonstrationem autem voco *syllogismum scientificum*: *scientificum* autem dico, secundum quem, eò, quod habemus ipsum, scimus. Vid. *lib. 1. top. c. 1. §. 4.*

§. 4. Cum verò scientia, quantum quidem ad præsens

A 2

atti-

attinet, duplici modo dicatur: uno scientia quod, altero scientia propter quid, teste Arist. lib. 1. post. c. XIII. t. 95. cum inquit: τὸ ἴδιον ἄλλο φέρεται καὶ τὸ διότι ἐπισταδα κλ. h. e. scire autem quod sit & propter quid differunt &c: Hinc demonstratio quoque alia dicitur ἀποδείξις ἢ ὄτι, alia ἢ διότι. Dicitur autem demonstratio altera propter quid, quia ex causa, propter quam res est, affectionem demonstrat; altera dicitur quod, quia tantum vel quod res sit, ut quando ex effectu demonstrat causam; vel quod res non sit, ut quando ex causa remota procedit, declarat. Exempla utriusque, tum ὄτι, tum διότι demonstrationis, videantur ap. Philosophum loc. cit.

§ 5. Demonstrationem ὄτι, quæ juxta communissimam autorum sententiam improprie demonstratio dicitur, hinc valere jubemus, de priori illa, quam διότι appellere solent, & & quidem de causa syllogismum demonstrativum ingredi solita, aliquid dicturi.

§ 6. In quaestione autem, an detur demonstratio ἢ διότι, nolumus esse prolixi, cum id à nullo saniorum philosophorum negatum iri existimemus. Neque enim hinc Petrus Ramus, qui sui est ingenii, scrupulum nobis ullum, qui urgeat, objiciet, dum in Scholis suis artium liberat. & quidem Schol. Dialect. Lib. II. c. III. p. m. 339. in posterioribus analyticis, inquit, præcipitur de apodixi, i. e. de syllogismo, qui propriam affectionem de subiecto per causam propriam concludat. At talis causa nulla usquam adhuc observata est, imò per naturam nulla esse potest, trigintaq; Aristotelis ad eam rem exempla falsa sunt omnia, i. e. nihil propositæ apodixeos continentia, ut sit horribile prorsus auditu, artem à Philosopho confingi, cujus exemplum esse nullum possit. Ergò Apodictica Aristotelis Logica ad eum finem est nihili matæotechnia &c. Idem lib. IX. Schol. Dialect. c. I. p. m. 553. ad cap. 1. lib. II. post. præcepta demonstrationis ἢ διότι ab Aristotele ejusq; interpretibus tradita cuius deridenda propinare conatur. Eadem repetere passim non fuit veritus. Quod verò demonstratio talis ἢ διότι nullibi reperiat, Ramo, uti colligere licet ex loc. jam cit. p. 551. videtur esse evictum ex eo, quòd syllogismus demonstrativus non concludat quaestionem propter quid. Verum nihil minus, quàm hoc, contrariatur nobis

nobis : dicitur enim demonstratio ξ *dion* vel propter quid, non ratione conclusionis, qs. v. g. sic concludi oporteat : *Ergo luna propter interpositionem terræ deficit* : hoc enim si fieret, medius terminus conclusionē ingrederetur. Appellatur ergo demonstratio propter quid, respectu medii termini, quia nimirum ille ratio est & causa proxima, ob quam prædicatum conclusionis subiectio inest. Videatur *Jacob. Martini in Instit. Log. Lib. V. de demonstr. c. I.*

§. 7. Talem igitur, de qua jam agimus, demonstrationem dari, præsupponentes, ad eam tria requiri manifestum esse putamus ; *subiectum* nempe, & deinde *affectionem*, quæ de subiecto demonstratur, & tandem *causam*, per quam affectio subiecto suo inesse ostenditur. Videatur locus non obscurus *lib. I. post. c. X. r. 76.* Ex tribus hisce causam, quæ in syllogismo medii locum occupat, hac vice sumimus tractandam, de qua cum primis extant quæstiones celebres : (I.) *utrius extremi medium hoc causa sit & definitio!* (II.) *Cum quatuor sint causarum generum, non levis etiam quæstio aborta est: an medium hoc habeat se ut causa efficiens; an ut materialis, an ut formalis, an vero ut finalis?* Priorum quod attinet quæstionem, licet ea à multis. Sub una quæstione proponatur h. m. *utrius extremi medium sit causa & definitio?* Nobis tamen ad quæstionem hanc distinctius responderi posse videtur, si geminâ formatâ quæstione primùm quærat: *cujus extremi medium hoc sit causa?* & deinde: *cujus extremi medium sit definitio?*

§. 8. Quod concernit prius, Aristotelem intuenti res non potest non esse manifesta, quippe qui medium semper pro majoris, nunquam pro minoris extremi causa venditat; si non exprisè, implicite tamen. Omnia enim exempla, quibus in demonstratione utitur Arist. id præ se ferunt, medium esse causam majoris extremi, minoris non item : terræ enim interpositio, cujus mentionem sæpius facit, neque causa neque definitio est ipsius lunæ, sed est causa & definitio eclipsis. Ostendit etiam Philosophus foliorum casum de arboribus latifoliis per congelationem humoris : at, verò congelatio hujusmodi nullò modò potest esse causa subiecti, cum ante ipsam

congelationem arbor existere præsupponatur. Longum si o-
pus foret, apponere possemus exemplorum catalogum, quæ
idem evincerent. Videat, qui vult, Zabarell. lib. I. de med. demon-
strat. Conf. Fortun. Crell. Isag. Log. part. prop. Lib. I. c. XI. Con-
sentientem hîc habemus Averroëm, Aristotelis interpretem,
cujus in commentario in Lib. II. post. c. 25. sub finem hæc legun-
tur verba: *Et est ostensum ex hoc, quod Aristoteles vidit, quod ex
conditione demonstrationis absolute est, ut sit terminus medius causa
extremi majori necessario.*

§. 9. Ratio hujus rei hæc est in promptu: Scientia enim,
quæ per demonstrationem acquiritur, rei ignotæ, cujus co-
gnitionem inquirimus, scientia est. Inquirimus autem & de-
monstratione cognoscere cupimus non subjectum, sed affe-
ctionem, per quam scilicet causam subjecto inest. Ex quo effici-
tur, medium non subjecti, sed affectionis seu majoris extremi
causam esse. Videatur Fortun. Crell. l. cit. Argumentamur insu-
per: Quicquid demonstratur, ejus causa est medium demon-
strationis. Sed affectio demonstratur. E. affectionis causa est
medium. Major manifesta esse videtur ex natura & *in natura* rem
enim tunc scire putamus, cum causam ejus novimus, pro-
pter quam res est. Ergo etiam rem tunc demonstrare puta-
mus, cum causam ejus rei, quam demonstramus cognoscimus.
Minor patet: affectionem enim subjecto inesse ostendimus
beneficio syllogismi demonstrativi, inque conclusione majus
extremum (puta affectionem) de minore extremo (subjecto
nempe) enunciamus, ipsique inesse demonstramus. Proba-
mus insuper sententiam nostram hunc in modum: Si medium
non majoris extremi, sed subjecti seu minoris extremi causa
est, aut semper ejus causa est, aut interdum. Sed neutrum esse
potest. Er. prorsus non est causa minoris extremi. Posterius con-
sequentis membrum non esse, patet exinde, quia medii in de-
monstratione ea est natura, ut semper causa sit, aliter non ac-
quireremus scientiam; tunc enim scire putamus, cum rem per
causam cognoscimus. Membrum verò prius non esse, ostendi-
tur ex eo, quod in multis demonstrationum exemplis medi-
um est accidens aliquod, v. g. si per interpositionem terræ de-
fectum

fectum luminis in luna demonstramus. Illud autem accidens
quâ ratione dicetur causa subjecti?

§. 10. Nec est, quod quis *objiciat*, medium interdum esse
causam ipsius subjecti. Sic v. g. cum argumentor: Q. habet
materiam, illud est quantum. O. corpus naturale habet ma-
teriam. E. O. corpus naturale est quantum. Hic quidem me-
dium (materia) est ipsius subjecti (corporis naturalis) causa;
sed tamen h. l. materia non ut subjecti, verum ut affectionis
causa sumitur; *Et planè ex accidente est, quod medium simul sit
causa subjecti.* Affectiones enim duplicis sunt generis; alia in-
ternam, alia externam causam agnoscunt. Sumitur autem cau-
sa interna & externa bifariam: unô modô, ut dividunt cau-
sam in sua latitudine, & sic dicuntur ita ratione effectûs, est q;
causa interna, quæ essentiam sive constitutionem effectûs in-
greditur, & sunt materia & forma. Ita causa interna & externa
accipiuntur ab *Aristotel. lib. V. Metaph. c. I. τῶν ἰσχυρῶν* (scil. δεχῶν)
inquirente, ἀλλὰ ἐν ὑπαρχούσῃ εἰσὶν, αἱ ἢ ἐκτὸς h. e. horum verò,
(scil. principiorum) *alia inexistencia, alia extra sunt.* Externa
autem est, quæ non ingreditur essentiam seu constitutionem
effectûs, & sunt causa efficiens & finalis. Verum de hac causâ
internâ & externâ significatione hic non loquimur. Aliô ergò
modô sumuntur, prout dividunt causam efficientem, & sic
causa interna dicitur illa, quæ vel idem cum effectû subjectû
sibi vendicat, quemadmodum spherica figura à *Philosopho*
dicitur causa luminis circulariter accrescentis & decrescen-
tis; vel est ipsam effectûs subjectum, quemadmodum intelle-
ctus interna intellectationis causa dicitur. Externa dicitur, quæ
nec est ipsum effectûs subjectum, nec idem cum effectû subje-
ctum agnoscit, sicut interpositio terræ *eidem* dicitur causa ec-
lipsis lunaris. Quod igitur eas attinet demonstrationes, qua-
rum medium est causa externa, certum est, medium illud sem-
per causam esse majoris extremi tantum, nunquam simul sub-
jecti. Quis enim asserere audeat, terram interpositam esse lu-
næ causam? Quod demonstrationes, quibus medium est cau-
sa interna, concernit, illud *interdum* quoque esse causam sub-
jecti, concedimus, ut in objectione patet, non tamen, ut di-
ctum,

Autem, tunc ut subjecti, sed ut majoris extremi causa sumitur. Quia enim tota demonstratio ad majoris extremi probationem dirigitur, consequens est, plane ex accidente & prater scopum demonstrationis fieri, si medium interdum quoque sit causa subjecti. Notanter dicimus: mediū, quod est causa interna, *interdum*, (cū id semper non eveniat) esse causam subjecti; congelatio enim humoris dictō modō dici potest causa interna, (quanquam alii eam rectius ad causam externam referri posse existiment) lapsus foliorum, nec tamen arboris latifolia causa appellari meretur. Sic quantitas h. m. dici potest causa interna divisibilitatis, divisibilitas autem mensurabilitatis in corpore naturali, neque tamen quantitas vel divisibilitas corporis naturalis causa est.

§. II. Diximus, quod congelationē humoris alii rectius ad causam externam referri posse statuunt. Sunt enim, (quos inter est *Neldelius in Usu Organi Aristotelici cap. IV. capit. IV. partis princip. III. p. m. 189*) qui analyticè magis causam internam in hoc negotio vocari posse putant illam, quæ subjecto inest vel primò per se dicendi modō, tanquam pars essentialis; i. e. ut forma, aut etiam ut materia illius subjecti, quomodo rationalitas causa interna dicitur risibilitatis, materia quantitatis: vel quæ subjecto inest secundò per se dicendi modō, nempe tanquam essentialis accidens, quod necessariò ab altera harum duarum essentialium partium fluit, quomodo quantitas divisibilitatis causa interna dici potest. Quid secundum hos sit causa externa, internæ huic, de qua jam diximus, opposita, ex dictis patet.

§. 12. Inter demonstrationem verò, quæ internam (sumtâ causâ internâ significatu hōc posteriori) & inter eam, quæ externam agnoscit causam, id est discriminis, quod accidentia illa *ἀποδείκτα*, seu affectiones, quæ ab interna causa proficiscuntur, perpetuò suis *πρώταις δεσμοῖς*, primis & adequatis subjectis insunt, quibus positis, ipsæ etiam affectiones ponuntur; sublatis verò subjectis, ipsæ quoque affectiones tolluntur, quemadmodum datò homine datur etiam risibilitas, negatò autem homine, negatur eadem. Ratio est: quia acci-

accidentia talia manant & proficiscuntur vel ab interno sub-
jecti principio, vel saltem à proprietate aliqua seu accidente,
quod internum subjecti principium necessariò comitatur. Ac-
cidentia verò illa, quæ ab externa proveniunt causa, non sem-
per actu cum suis adæquatis subjectis cohærent: neque enim
semper luna actu patitur eclipsin, neque arboribus latifoliis
semper decidunt folia. Ratio hujus rei est: quia causa harum
affectionum non semper existit. Unde etiam accidentia talia
ab Aristot. lib. I. post. c. IIX. §. III. dicuntur πολλάκις γινόμενα, i. e.
accidentia qua sæpe fiunt; seu, quæ quidem non semper eveni-
unt, positâ tamen causâ, necessariò ponuntur; ablatâ, vicis-
sim tolluntur.

§. 13. Meritò igitur hîc inconstantia arguendus est Za-
barella, dum lib. I. de medio demonstr. c. 10. nobiscum fatetur, me-
dium semper majoris extremi causam esse, inquiens: *semper i-
gitur medium est causa majoris: quòd si contingat aliquando, ut sic
causa etiam minoris, illud est extra consilium demonstrationis.* At ve-
rò lib. de Trib. Præcognit. c. 2. statuit, conditionem subjecti sci-
entia esse, habere principia. Verba loc. cit. habentur hæc: ut
igitur aliquid contemplativæ scientiæ subjectum sit, hæc tan-
tùm requiruntur: *Primum quidem, ut ipsum per se sit ens &c. post-
ea verò, ut affectiones proprias habeat propriasq; principia.*

§. 14. Et cum res videatur esse manifestissima, quòd nem-
pe medium majoris extremi causa sit, non immeritò putaric
aliquis, supervacaneam esse quæstionem hanc, eamq; quan-
do quæritur, utrius extremi causa sit medium, simillimam
esse problematibus, *que in controversiam, aut disceptationem vo-
cari Aristoteles lib. I. top. c. XI. vetat, eosq; qui de iis dubitant, vel
penâ coercendos esse, aut sensu indigere asserit.* Verùm, ut ex seqq.
patebit, non sine causa quæstio hæc præmittitur diluenda
propter nonnullos, ut citant eos alii, contrariæ sententiæ de-
fensores.

§. 15. At verò, *inquis,* quomodo contrariæ sententiæ de-
fensores tam absurdi potuerunt esse, ut statuerent, medium
in demonstratione esse causam & definitionem non affectio-
nis, sed subjecti, cum tamen id ex nullis ferè, quæ Aristoteles

B

addu-

adducit, exemplis appareat, imò ratio aliud suadeat? Quà ratione, *inquit*, quòve fundamentò asserere ausi fuerunt, interpositionem terræ esse causam & definitionem non defectus luminis in luna, sed ipsius lunæ? Verum Respond. quòd quidem plerique opinionem nostram contra secus sentientes defensuri videantur statuere, q̄s. *Scotus* (quem cum primis hîc habemus aduersarium) ejusque affectæ simpliciter negârint, medium in demonstratione potissima esse majoris extremi causam. Unde etiam contra eosdem disputaturi in id unicè incumbunt, ut medium majoris extremi sive passionis de subiecto demonstrandæ causam esse evincant. Quòd autem ii, qui veram sententiam susceperunt defendendam, statuerint, q̄s. secus sentientes simpliciter negârint, medium majoris extremi causam esse, inter alios ex *Zabarell*, (qui in hoc præ aliis est prolixior) patet, dum hominum contrariæ opinioni addictorum & ignorantiam & cœcitatem in re tam perspicua admiratur. *Ego verò*, *inquit lib. I. de med. demonst. c. I. maximè dubius fui, an de hac re aliquid scribere deberem: primum enim, dum Aristotelis dicta & sententiam, atque adeò rem ipsam spectabam, animoqueolvebam, super eacaneam videbatur, de re manifesta disputationem instituire. Contra verò dum tot præclaros viros respiciebam, qui, nescio quâ, cœcitate impediti veritatem ap. Arist. intueri nequiverunt, non abs re futurum esse judicabam, si sententiam Aristotelis ita explanarem, ut nullus tandem dubitationi locus relinqueretur. Idem manifestius liquet ex loci jam cit. cap. VI. ubi leguntur hæc: nam Scotus non solum ostendit, medium semper esse definitionem subiecti, sed probat etiam, nunquam esse posse definitionem affectionis. Thomas quoque confiteri non vult, eandem esse posse utrinque simul extremi definitionem &c.*

§. 16. Sed profectò Scotum & reliquos opinioni ei, quam impugnamus, addictos tam absurdè sensisse & simpliciter negasse, medium in demonstratione, potissima esse majoris extremi causam, probabile non est. Quis enim tam ineptus sit, ut, q̄o. v. g. per rationem demonstratur risibilitas, rationem risibilitatis causam esse, non concedat. Hoc ipsa natura & Aristoteli postulat, cum scire nihil aliud sit, quàm rem per causam
cogno-

cognoscere, propter quam res, i. e. majus extremum est. Tum
Aristoteles lib. 2. post. c. XVI. t. 9. Prolixam instituens quæstio-
nem quærit: utrum ab effectu causam, & contra à causa ad af-
fectum liceat colligere, veluti si arbor defrondescit vel luna de-
ficit, an etiã sit causa, cur defrondescat arbor & luna deficiat:
& an, si terra est interposita, luna etiam deficiat? &c. Ineptè
autem philosophus hanc proposuisset quæstionem, nisi in de-
monstratione medium pro majoris extremi causa, & majus
extremum pro medi effectum agnovisset. Et hanc Aristotelis
mentem verbis tam manifestis l. c. expositam à Scoto non fu-
isse perspectam, quis serio dixerit? Videntur igitur ii, qui hinc
adversantur nobis, ultrò cõcessisse medium in demonstratio-
ne majoris extremi causam esse: sed tamen, *quod probe obser-
vandum*, licet ipsos ita statuere concedamus, in eo à nobis lon-
gè dissentiant, quòd simul medium tale semper quoq; subjectum
sive minoris extremi causam esse asserunt. Ut cum risibilitatis,
utpote majoris extremi causa esse dicitur ratio, hæc ipsa ratio
simul subjecti causa est, est enim hominis, quippe qui ex ani-
ma rationali & corpore organico intrinsecè constituitur, cau-
sa formalis. Quæstionis igitur cardo vertitur in hoc: *utrum il-
lud medium, quod majoris extremi causa est, semper quoque minoris
extremi, seu subjecti causa sit?* Affirmativam tenuerunt Scotus &
alii; nos verò negativam amplectimur ob ipsas, quas §. 9. ad-
duximus, rationes.

§. 17. *Dicit*: nihilominus tamen ii, qui contrarium di-
cunt, absurditatis arguendi erunt, cum in omnibus ferè à *Phi-
losopho* positis exemplis medium nullò modò subjecti causa
esse queat. Quis enim interpositionem terræ, quò exemplò sæ-
pius ille utitur, dicat esse causam ipsius lunæ? Verum neque
hic tantoperè absurdi fuerunt: hanc enim absurditatem ut
declinarent, docuerunt, demonstrationem, quâ eclipsis de lu-
na demonstratur per interpositionem terræ (& alias ejusmo-
di) non esse potissimam. Videatur *Scotus lib. 1. post. quæst. LVI.*
Intelligendum tamen, inquit, *quòd licet diffinitio passionis non sit me-
dium in demonstratione potissima, est tamen medium in aliqua demon-
stratione, sicut patet ex processu Aristotelis.* Ibidem quoque ad lo-
cum Aristotelis medium majoris extremi definitionem esse

affirmantis ita respondet: ad primum argumentum dicitur, quod illud concludit, quod diffinitio passionis est medium in demonstratione, & hoc est concessum, non tamen conceditur, quod sit medium in demonstratione potissima. Eandem responsionem ad alium Philosophi textum subjungit. Vult igitur Scotus, Aristoteli in iis locis, ubi medium non est subjecti causa & definitio, sermonem esse de demonstratione non potissima. Rationes Scoti, quas pro sua opinione comminiscitur, expendentur inferius.

§. 18. Verum si hæc Scoti sententia obtineret, errasset profectò Aristoteles, dum demonstrationis non potissimæ exempla tam diligenter inculcasset ac expressis verbis proposuisset, potissimæ autem demonstrationis non item. Tum dicas Scotus, quid intelligi velit per demonstrationem potissimam. Dubio autem procul per eam indigitari vult demonstrationem nobilissimam, ut ita demonstratio, quæ solùm procedit ex causa & definitione passionis, altera illâ, quæ simul ex causa & definitione subjecti constructur, sit ignobilior. Nos autem demonstrationem hanc, quæ fit ex causa & definitione passionis, v. gr. quando eclipsis demonstratur per interpositionem terræ, æquè nobilem (cæteris nempe paribus) & præstantem esse, atque ea est, quæ ex causa & definitione subjecti conficitur, existimamus. Argumentamur hunc in modum: O. demonstratio, quæ perfectam rei scientiam nobis tradit, appellanda est potissima. Atqui demonstratio eclipsis lunaris per interpositionem terræ tradit nobis perfectam rei scientiam. E. demonstratio eclipsis lunaris per interpositionem terræ est appellanda potissima. Majoris veritas in propatulo est, patetque ex fine demonstrationis. Min. probatur: Quæc. demonstratio procedit ex causa proxima, ita ut satisfiat querenti propter quid, & nihil amplius ea de re, quam demonstramus, quer. possit, illa tradit nobis perfectam rei scientiam. Atqui demonstratio eclipsis lunaris per interpositionem terræ procedit ex causa proxima, ita ut satisfiat querenti propter quid, & nihil amplius ea de re queri possit. E. demonstratio eclipsis lunaris per interpositionem terræ tradit nobis perfectam rei scientiam. Quod verò interdum medium quoque sit simul causa ipsi-

sa ipsius subjecti, ultrò largimur, id tamen, ut supra monuimus, præter scopum demonstrationis contingit.

§. 19. *Objicis*: In citatis Scoti verbis negatur quidem, medium in demonstratione potissima esse majoris extremi definitionem, non autem præcisè negatur, medium esse majoris extremi causam, de qua tamen jam nobis sermo est. Respond. quò modò medium majoris extremi definitionem esse Scotus negat, eò quoque negat, medium majoris extremi causam esse, quia per definitionem passionis h. l. nihil aliud intelligitur, quàm illa definitionis pars, quæ causam continet. Præterea dicit Scotus, in demonstratione, quæ juxta ipsum non est potissima, ut cum per interpositionem terræ eclipsis demonstratur, medium majoris extremi definitionem esse posse: quomodo autem ab ipso hæc interpositio terræ eclipsis definitio esse statuetur, nisi quia ejus causa est. Concedit igitur Scotus, definitionem & causam h. l. æquipollere, & sic quò modò negat, medium majoris extremi definitionem esse, eò quoque negat, illud majoris extremi causam esse. Certum ergò atque immotum manet, medium affectionis causam esse, & si interdum contingat, ut medium quoque subjecti causam exprimat, id ex accidente & præter scopum demonstrationis fieri. Firmum etiam illud relinquitur, apodixin illam, quæ solum ex passionis, non simul subjecti causa procedit, potissimam esse.

§. 20. Sed contra id, quod sæpius dictum fuit, medium esse majoris extremi causam, objici potest, quòd, si ita est, fieri potest, ut effectus prædicetur de causa in casu recto. Consequens autem, quia communi Philosophorum effato adversatur, non est. E. nec antecedens. Consequentia probatur, quia si medium est causa majoris extremi, majus extremum erit effectus. Jam verò non rarò in demonstrationibus majus extremum prædicatur de medio in casu recto, & sic interdum effectus prædicabitur de causa in casu recto. Exemplum prædicationis hujus in casu recto est tale: O. rationale est risibile. Respondemus cum B. Stahljo in Regg. Phil. tit. III. de causa & causato, Reg. XVII. §. 13. & 14. quòd nimirum in hac propositione:

rationale est risibile, subiectum non fit causa prædicati, idque inde constat, quod rationale nihil aliud est, quam res habens rationem, risibile nihil aliud est, quam res habens risibilitatem: at res habens rationem non est causa rei habentis risibilitatem, quia res habens rationem & res habens risibilitatem est una eademque res; sed unum idemque non est causa sui ipsius. Puto autem, (*pergit*) sufficere ad demonstrationem prædicationem, effectus de causa in obliquo, vel causam & effectum per medium & majus extremum importari & in iis contineri, quod fit, cum dico: rationale est risibile, sive res habens rationem est res habens risibilitatem; ratio enim hæc est causa risibilitatis.

§. 21. Ad alterum prioris quæstionis membrum transimus. Quærebatur ibi: *cujus extremi medium sit definitio?* Cum ergo causa (quæ affectionis, ut hætenus probatum, causa est,) in assignanda affectionis ejusdem definitione principem obtineat locum, dicimus, medium extremi illius, cuius causa est, affectionis nimirum, simul quoque definitionem esse. Argumentamur: si medium affectionis causa est, ejusdem quoque definitio erit. Sed prius verum esse, hætenus à nobis probatum fuit. Ergo & posterius verum erit. Consequentiam probamus, quia propria cuiusque affectionis definitio, si perfecta esse debet, sumitur ex causa. id quod ostendimus ex *Arist. lib. 2. post. c. 2.* *Ἐν ἅπασιν ὁ τῶν τριῶν, dicit, Φανερόν ἐστιν, ὅτι τὸ αὐτὸ ἐστὶ τὸ τί ἐστὶ, καὶ διὰ τί ἐστὶ κλ. i. c. in omnibus enim hisce perspicuum est, idem esse, quid est, & propter quid est.* At verò quamobrem secundum Aristot. idem erit scire τὸ τί ἐστὶ & scire διὰ τί ἐστὶ? quia nimirum τὸ τί ἐστὶ seu definitio affectionis perfecta non potest tradi, nisi simul in eadem assignanda mentio fiat causæ ipsius affectionis. Luculentius hoc traditur in *lib. 2. post. c. XVII. l. 97.* *ἔστι ἢ τὸ μέσον λόγῳ & πρῶτα ἄκρα, i. e. medium enim est definitio primi extremi.* Et vocem λόγον pro definitione esse accipiendam ex verbis & scopo Aristotelis manifestum est.

§. 22. Quòd autem causæ affectionis in definitione ipsius non infimus debeat locus, ex eo manifestum esse viderur, quòd definitio accidentis proprii dum demum censetur esse
perfe-

perfecta, cum causa, à qua accidens suum esse habet, exprimitur. Quales definitiones tradi solent: tonitru est sonus in nube, ortus à discussione exhalationis calidæ & sicca exitum querentis & latera nubes undiquaque pulsantis. Eclipsis est defectus luminis in luna, propter interjectionem terra diametralem inter ipsam & solem. Inquis: quid quæso perfectionis deest, cum talem in modum annotatas legimus definitiones: tonitru est sonus in nube. Eclipsis est defectus luminis in luna. In priori enim sonitus, in posteriori & defectus luminis vera sunt genera; in priori item rō in nube, in posteriori rō in luna veræ sunt differentia specificæ, separantes sonum & defectum luminis ab aliis quibuscunque sonis & defectibus luminis: Jam verò quæ definitio ita se habet, ut constet genere & differentiâ specif. nullius imperfectionis argui potest.

§. 23. Ad meliorem rei evidentiam prænosendum esse putamus ex Zab. lib. 4. de method. c. 14. quòd in accidentium definitionibus id, quod se habet instar materiae seu subjecti, vicem differentia habeat; illud autem, quod se ut forma habet, vicem generis. Ut quando tonitru definire volo, locò generis poni debet sonus, quæ se habet ut forma tonitru; locò differentia poni debet in casu obliquo nubes, quæ se habet ut materia. Sic cum eclipseos definitionem assignaturus sum, id, quod se habet ut forma, nimiram defectus luminis, fungitur officio generis in casu recto positum; illud verò, quod se habet materiae instar, nimirum luna, officio differentia in casu obliquo positum. Contrà a. in substantiis id accidit, in quarum definitionibus id, quod se habet ut materia, generis; id, quod se ut forma habet, differentia vicem sustinet. Conf. Fort. Crell. part. prop. lib. 1. de Demonst. Hisce præmissis dicimus, quòd quidē definitio hæc accidentium ex materia & forma constans dici queat essentialis sive quidditativa, quia tota accidentis essentia per eam exprimitur, scil. per genus restrictum à subjecto proprio fungente officio differentia: etenim quidnam aliud est eclipsis, quàm defectus luminis in luna? quid aliud est tonitru, quàm sonus in nube? Sed tamē magna est differentia inter definitiones hæc accidentium essentielles, & inter definitiones substantiarum essentielles. Nam definitio substantia ex
mate-

materia & forma perfecta est, ut nihil amplius quarendum restet: aliter autem comparatum est cum definitione accidentium, quia enim ibi animus quærentis non acquiescit, nisi detur causa inhærentiæ accidentis in subiecto, causa illa utique exprimenda est. Ex quibus, uti patet, nullò negociò ad objectionem allatam responderi potest: licet definitio talis in se perfecta dici potest, quod rei essentiam per genus & differentiam specificam exponit; eadem tamen imperfecta censeri debet in respectu ad nostrum intellectum, quippe qui prætermittens mentionem causæ non acquiescit. Videatur *Benedict. Pererius de com. rerum nat. princip. & affection. lib. III. c. V.*

§ 24. Causæ igitur huic in definitione affectionis principem assignamus locum & propterea etiam ab *Arist.* eam dici putamus *definitionem*. Quemadmodum enim in definitione substantiæ differentia specifica præcipua pars est, atque hanc ob causam quoque à *Philosopho lib. VII. Metaph. c. XII.* rei substantia & definitio appellatur, *εἰδὴ, ἰνκριντε, ταῦτα ἕτως ἔχει, φανερόν, ὅτι ἡ τελευταία ἂν φανερὴ ἡ εἰσία τῶν πράγματων ἔστι καὶ ὁρισμός*: i. e. si igitur hæc ita se habent, manifestum est, quòd ultima differentia rei substantia erit & definitio; ita etiam causa in definitione passionis præcipua pars est, & quodammodo definitio.

§. 25. Ex quibus patet, quàm facili negociò ex demonstratione definitio affectionis extrahi queat, utpote quæ solâ thesi à demonstratione differre dicitur. Vid. *Arnif. in Not. ad Crell. part. II. lib. I. c. X. Scheibl. in opere Log. lib. Top. cap. 30. n. 68. & seqq. Themist. in libb. post. c. XIII. Jacob. Schegkii in Organo Aristoteleo; tract. Anal. VII. c. X. & alii.* Videatur ipse *Arist. lib. 2. post. c. X. t. 45.* ubi postquam textu præced. definitionem dispescuisset in definitionem nominis, & declarantem *cur sit*, seu causalem, subjungit: *ὡς τὸ μὲν πρότερον σημαίνει μὲν, δείκνυσι δ' ἔτι ὁ δ' ὑπερὸν φανερόν, ὅτι ἐστὶν οἷον ἀποδείξις τῶν τι ὄντων, τῆν θείσει ἀφ' ἑρῶν τῆς ἀποδείξεως.* i. e. quo circa prior (scil. definitio) significat quidem, non tamen demonstrat; posteriorem autem apparet esse quæ demonstrationem quid sit, situ differentem à demonstratione.

§. 26. Quomodo autem definitio solò situ à demonstratione

tione

tionem differat, & quomodo demonstratio in definitionem affectionis converti possit & debeat, jam non discutemus. Videantur *autores*. Hæc obiter saltim monuisse sufficiat.

§. 27. Et sanè mediū non esse subjecti definitionem, patet vel hōc unicō exēplō, si quis eclipsin demonstrarēt per interpositionē terræ. Quis hīc asserere audeat, interpositionem terræ esse definitionem lunæ? Argum. enim: Quocunque absente id, quod remanet, sufficienter exprimit lunæ essentiam, id non est lunæ definitio. Atqui absente interpositione terræ, id quod remanet, sufficienter exprimit lunæ essentiam. Ergō. Majoris fundamentum est *caput. III. Lib. VI. top.* Minor suā luce radiat. Si quis eodem, ut suprā §. X. objiciat modō, medium interdum esse definitionem subjecti, idque probare conenturex eo, quòd rationalitas, quæ est causa risibilitatis, hominis tanquam subjecti definitionem ingrediatur, ei responsum reponimus idem, quod suprā: interdum enim evenire, ut medium sit subjecti definitio, fatemur; hoc tamen ex accidente esse & præter scopum demonstrationis, & tunc non ut subjecti, sed ut majoris definitionem sumi, dicimus: quia enim majus extremum de subjecto demonstratur, ita, ut non solum cognoscere liceat, propter quid subjecto insit, sed etiam quid sit, (*idem enim est scire propter quid est & scire quid est, lib. 2. post. c. 2.*) ideò medium tali in casu meritò non ut subjecti, sed ut majoris extremi causa & definitio sumitur.

§. 28. Sciendum autem, quòd, quando medium interdum pro definitione subjecti agnoscimus, illud duplici potissimum sensu accipi possit. (I.) ita, ut tota subjecti definitio, prout nimirum & genus & differentiam includit, demonstrationis medium fieri queat, ut si rō risibile quispiam demonstraret per animal rationale. Et hæc acceptione assertum an concedi queat, dubitare quis potest, quia sic aliquid alicui inesse videtur per illud ipsum, cui inest, in quo animus quærentis non acquiescit, quærenti enim, cur v. g. homo sit risibilis, si respondeas: quia est animal rationale, idem videris dicere cum illo, qui ita respondet: quia est homo. Multò autem minus definitionis genus solitariè positum sufficiens & adæqua-

C

ta pas-

ta passionis de subiecto demonstranda causa erit, cum genus illud latius pateat, quam affectio, quam tamen, si propositio major debet esse καθόλου, & prædicatum subiecto competere ἢ αὐτῷ, quatenus ipsum, cum causa sua æquè latè patere oportet. Tunc enim propositio aliqua censetur esse καθόλου, & prædicatum de subiecto dici ἢ αὐτῷ, si ipsi inest per intimam ac propriam ejus essentiam atque naturam, i. e. ita, ut subiectum non detur extra ambitum prædicati, nec prædicatum extra ambitum subiecti, sed æquè latè pateant subiectum & prædicatum; sicut risibile dicitur de rationali & homine per propriam rationalis & hominis naturam, cum homo & rationale non detur extra ambitum ἢ risibilis. At quando dico: homo est animal, subiecto quidem τὸ animal attribuitur essentialiter, non tamen per propriam hominis essentiam, cum animalis essentia detur etiam extra id, quod est homo. Sic cum dico: animal est risibile, τὸ risibile non dicitur de animali per intimam ac propriam ejus naturam, quia animal datur extra id, quod est risibile. Eruditè hac de re differentem vide *Neldelium in praxi sua ἔ usa organi Aristot. c. II. capituli IV. partis princip. III. p. m. 167. Croll. lib. I. de demonstr. c. II.* Restat igitur, ut (II.) dicamus, differentiam quandoque locò medii constitui, (uti patet exemplò de risibilitate allatò) ita tamen, ut ea sumatur ut causa & definitio affectionis, non subiecti.

§. 29. Diximus superius, *Scorum* in demonstratione potissima semper quoque requirere definitionem subiecti. Videamus jam, quibus argumentis se fulciat adversaria ejus sententia. Is autem loc. cit. lib. I. post. quest. LVI. ita differit: *ad questionem ergò dicitur aliter propter ista, quòd definitio subiecti est medium in demonstratione potissima, ἔ non definitio passionis. Ratio primi est: Illud, quod demonstratur, est accidens, non accidens commune. Et paucis interjectis: accidens ergò, quod demonstratur, cum non sit commune, patet, quòd sit proprium: sed accidens proprium causatur à principiis speciei. Ejus ergò notitia causatur à notitia principiorum speciei. Sed principia speciei per definitionem speciei sive subiecti exprimuntur. B. notitia passionis est notitia definitionis speciei, quæ est subiectum. Definitio ergò subiecti est medium in demon-*
stra-

stratione potissima. Secundo ostendo: istud, quod est medium in demonstratione, facit simpliciter notitiam, ita quod ipsum in esse sive in cognitione ab alio non dependeat: sed diffinitio passionis dependet in esse & cognitione à subjecto, & à principiis subjecti causatur illa diffinitio passionis. E. diffinitio passionis non potest esse medium in demonstratione potissima.

§. 30. Ex quibus verbis, uti perspicere licet, geminum extrui potest argumentum. Alterum, quod probare nititur, in omni potissima demonstratione locò medii poni oportere definitionem subjecti, habebit ita: si omne accidens proprium à definitione & natura subjecti fluit, sequitur etiam, quod omne accidens proprium demonstrari debeat per definitionem & naturam subjecti, & quod per consequens ipsa subjecti definitio debeat esse medium. Atqui omne accidens proprium &c. Ergo. Consequentiam Scotus probatam velle videtur ex eo, quia potissima demonstratio ea est, quæ rem declarat per suam causam, à qua fluit.

§. 31. Verum respondemus negandò antecedens, falsum enim est, omne accidens proprium fluere à natura subjecti. Quod ut eò melius intelligatur, repetendum est, quod supra §. X. monebatur, accidentia hæc, de quibus jam sermo est, esse in duplici differentia: quædam agnoscere causam externam, quædam internam. Si igitur antecedens de quibuscunque accidentibus propriis intelligatur, illud utique falsum est, cum ea, quæ externam habent causam, non fluant à forma & natura subjecti, imò non omnia ea, quæ fluunt à causa interna. Sic defectus luminis in luna provenit à causa externa, n. p. ab interpositione terræ, unde quoque idem defectus luminis non ab ipsa lunæ natura fluit.

§. 32. Antecedentis falsitatem perspectam quoque habuit Francisc. Tolet. in comm. super cap. X. lib. II. post. quæst. I. cum talia profatur: at in hac difficultate mihi sic respondendum videtur: quæ alicui competunt subjecto, in duplici differentia se habere: quædam habent aliam causam extra subjectum, secundum quam ei insunt, sicut eclipsis inest luna propter interpositionem terræ, & tonitrua acri ex concussione exhalationis cum nube: quædam aliæ insunt subjecto

non per causam extrinsecam, sed quia subiecti naturam consequuntur, sicut multa passiones & proprietates herbarum, animalium & aliorum. Distinctione hac suppositâ pergit, & ponit quasdam conclusiones, quarum secunda hæc est: cum proprietates subiectis insunt modò priori, crediderim, potissimam earum demonstrationem esse per causam illarum.

§. 33. Alterum argumentum, quod evincere contendit, medium non posse esse definitionem passionis, erit hoc: Nul- lum potissimæ demonstrationis mediū dependet ab alio quodã priori principio tum quoad esse, tum quoad cognitionem. Sed definitio passionis dependet ab alio quodã priori princi- pio tū quoad esse, tū quoad cognitionē, nempe à definitione subiecti. E. definitio passionis non est potissimæ demonstra- tionis medium. Majorem forsan inde perspicuam esse vult, quia principia demonstrationis debent esse prima, quibus alia priora non dantur. Minorem autem ex eo, quia definitio idem est, quod definitum. Quæ ergò est causa accidentis, tan- quam definiti, ea quoque est causa definitionis. At verò sub- jecti definitio est causa accidentis, tanquam definiti, ergò & subiecti definitio erit causa definitionis, per quam accidens illud definitur.

§. 34. Respondemus (I.) ad majorem: negando eam. Si enim Syllogismum demonstrativum efficio talem. O. divisibile est mensurabile. O. quantum est divisibile. E. O. quan- tum est mensurabile. Annon hîc medium, quod est τὸ *divisibi- le*, dependet ab alio quodam priori, per quod demonstrari potest. h. m. O. extensum est divisibile. O. quantum est ex- tensum. E. O. quantum est divisibile. Ratio Scoti, quod sic principia non sint prima, nobis non obstat: licet enim minor interdum non sit immediata, si tamen per aliud quippiam de- monstrari queat, per hoc Syllogismo illi, cujus minor non est immediata, nihil decedit. Hîc enim locum habet illud *Ari- stotelis Lib. I. top. c. 1. §. 4. ἀπόδειξις ἢ εἶναι, ὅταν ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώ- των ὁ συλλογισμὸς ἢ, ἢ ἐκ τοιαύτων, ἀ ἀξιόπινων πρώτων καὶ ἀληθῶν τῆς πρὸς αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἰληθε. i. e. demonstratio est, cum ex veris & primis Syllogismus constat: vel ex ejusmodi, quæ à quibusdam veris & primis sui cognitionis principium sumserunt.* §. 35.

§. 35. (II.) Resp. ad minorem, quòd (1.) videatur Scotus interum confundere accidentia propria, quia enim omnia à definitione & natura subjecti fluere existimat, omnes etiam eorum definitiones (quia definitio & definitum sunt idem) à definitione & natura subjecti provenire putat. At verò non omnia ejusmodi accidentia hunc ortum trahere, jam ostensum fuit. (2.) per definitionem passionis, quantum colligere licet, intelligit Scotus definitionem passionis essentialem, non factam mentione causæ in illa, ut si per defectum luminis in luna eclipsin demonstrarem. Et si de hac definitione ipsi sermo est, minor itidem particulari tantum veritate gaudet; Sicut enim interdum accidens à definitione subjecti dependet, ita etiam definitio accidentis à definitione subjecti interdum dependebit. Verum de hac minoris particularitate quicquid fit, ex tali tamen passionis definitione demonstrationem non esse conficiendam, ultro largimur, sic enim idem ostenderetur inesse per idem, & sic conclusio nobis ne tantillum contradicit. Quia enim per definitionem passionis intelligimus eam definitionis partem, quæ causam accidentis exprimit, quomodo ea dependebit à definitione subjecti? quia enim interdum tali definitioni, v. g. interpositioni terræ, nullum prorsus commercium est cum definitione subjecti, ab ea quoque non dependebit. Imò neque tunc, quando talis definitio, quæ nempe causam exprimit, est simul ipsius subjecti definitio, à definitione subjecti pendere dicitur, quia est ipsa subjecti definitio.

§. 36. Nostram tamen, quam hæcenus defendimus, opinionem dubia non levia urgent. (I.) enim potest quis opponere, quòd, si admittatur demonstratio, quæ fit per causam externam, ubi nempe medium non est causa & definitio subjecti, qualis est, cum eclipsis demonstratur per interpositionem terræ, accidens tale non semper actu in sit suo subjecto, sed potestate tantum, & vi causæ, quæ positâ in actu, ipsum etiam accidens ponitur; & sic accidens tale non recipiabitur cum suo subjecto. At vero *Aristoteles* non uno in loco subjectum & affectionem vult esse ἀλλησε φονγα, reciproca, quod tamen hoc
C 3 in ca-

in casu, ubi nempe causa est externa, fieri nequit; luna enim cum eclipsi nullò modò reciprocatur. Sic neque lapsus foliorum est *αντίστροφος* cum arbore latifolia. Locus *Arist.* manifestissimus est *Lib. II. post. c. XVII. t. 97.* ἔχει δὲ ἄνω, Διὰ τὸ ἀντι-
κολληθεῖν τὸ αἴτιον ἀλλήλοις, καὶ ἂν αἴτιον, καὶ ὡς αἴτιον, h. e. sic autem
se res habet, quòd se mutuò consequuntur causa & id, cuius est causa
(affectio scil.) & id, cui est causa. (subjectum nempe) Labet
apponere *Franc. Toleti* in hunc textum verba sequentia: ex hac
precedenti doctrina determinat modò (scil. *Aristoteles*) cum medi-
um tale sumendum sit, nempe definitio extremi, ut omnes scientia su-
munt, tunc omnia fore convertibilia, nempe id, cuius est causa, i. e. ma-
jus extremum, & id, cui est causa, i. e. subjectum, & ipsa causa, i. e. me-
dium. Eandem causæ cum subjecto reciprocationem diligen-
ter inculcat *Themistius* in *libb. post. anal. c. XXXII.* (interprete
Hermolaò Barbarò.)

§. 37. (II.) Potest objici, quòd tali in casu, ubi nempe ad-
hibetur causa externa, medius terminus non inest subjecto
per se in minore propositione, cum inter ipsum & subjectum
nulla detur definitiva connexio, (terræ enim interpositio non
pertinet ad lunæ definitionem) qui tamen *modus dicendi per se*
aliàs in minore Syllogismi demonstrativi propositione re-
quiritur, ceu liquet, cum talis conficitur Syllogismus: O. ra-
tionale est risibile. O. homo est rationalis. Ergò. At cum ita
demonstro: Quodcunque radiis solaribus, à quibus alioquin
solet illustrari, destituitur, propter interpositum terræ globum, id
patitur eclipsin. Atqui luna radiis solaribus, à quibus alio-
quin solet illustrari, destituitur, propter interpositum terræ globum.
E. luna patitur eclipsin. Hic minor sanè in modo dicendi per se
collocari nequit.

§. 38. Sunt, qui subjectum tali in casu (ut reciprocatio
possit invenire locum) variis limitibus circumscribunt, exi-
stimantes, v. g. non lunam absolutè acceptam, sed lunam ob-
scuram esse verum & adæquatam eclipsios subjectum: sic et-
iam nubem non simpliciter ita dictam, sed nubem tonitruantem
ipsius tonitru subjectum constituunt: Sic enim reciprocatio-
nem locū habere posse putant, ita, ut, quicquid patitur ecli-
psin,

obscurata, & quicquid est luna obscurata, patiatur eclipsin: quicquid tonitruat, sit nubes tonitruans, & quicquid est nubes tonitruans, tonitruet. At verò ejusmodi limitationis, præterquam, quòd propter τὸν ἁπλοῦς ea est molestia, nullum reperire licet indicium in libris analyticis, quippe qui lunam, (non lanam obscuratam,) eclipsicos; nubem, (non nubem tonitruantem) tonitrua subjectum ubiq; faciunt.

§. 39. Nos ad allatas hæc difficultates melius vix posse Responderi existimamus, quàm si cum *Laudatiß. Neldelio in Synopsi poster. analyt. p. m. 153. & 154.* hæc subjungamus verba: *Sed si dicendum, quod postulat veritas, turpe est, difficiles habere nugas, secundum poetam, & stultus labor est ineptiarum. Quacumq; enim ratione formentur hujusmodi demonstrationes (quæ nempe fiunt ex causa externa) semper eis aliquid objici poterit, cum inter mediū terminū & minorem reverà nulla videatur esse essentialis connexio, neq; luna à term, neque term à luna dependeat. Itaque consultißimum iudicio, si seorsim hujusmodi affectionum cause investigentur, non etiam revocentur ad præscriptas propositionum & Syllogismorum formulas. (quòd nempe propositio semper debeat esse per se. Eadem ratio est, quòd subjectum cum causa semper debeat reciprocari.) Et quibusdam interpositis: *Sanè formula ille syllogistica, ut censent doctissimi viri, sunt propter tyrones, tanquam compedes quædam, quibus rudes equos docemus ingressum, ab edoctis jam amovemus. Quemadmodum etiam, qui natare jam sciunt, non utuntur jam cortice.**

§. 40. *Mens Auctoris Celeberr.*, quantum perspicere licet, huc redit: quamvis Aristoteles hinc inde varia tradiderit demonstrationis præcepta, (quibus annumerantur, quòd nempe propositiones debeant esse per se, quòd subjectum cum medio debeat reciprocari) omnia tamen ubique in quavis demonstratione observari nequeunt, cum Aristoteles in tradendis iis potissimè respectum habuerit vel ad demonstrationes, quæ fiunt ex causa interna, vel ad tyrones, quos, antequam perfectam rei cognitionem sibi acquirerent, quasi compede quadam continere voluit, ne nimiam in conficiendis demonstrationibus sibi sumerent licentiam. Interim tamen
Ari-

Aristoteles demonstrationem ejusmodi, ubi vel medium cum subjecto non recipitur, vel propositiones non omnes sunt per se, non rejicit, cum passim talia tanquam veræ demonstrationis exempla nobis reliquerit.

§. 41. Et sanè, quòd non omnia ab Aristot. recensita in Analyticis præcepta ubique observari queant, liquet etiam ex eo, quòd ubique præmissas vult esse primas & immediatas, cum tamen id semper fieri repugnet: puta, quando secunda affectio per primam (v. g. mensurabilitas per divisibilitatem) demonstranda est, sic enim minor semper relinquitur mediata. Imò immediationem hanc, quam tamen ubique inculcat, non semper invenire locum, annotat ipse *Arist. lib. I. top. c. 1. §. 4.* Sic idem Philosophus demonstrationem declaravit per causas ut plurimum rigidè sic dictas, non, quòd secus esse non posset demonstratio, sed quòd ista, quæ est ex causa in rigore sic dicta, sit usitator. Conf. §. 52.

§. 42. Eidem ferè cum Scoto errori additus esse videtur *Matth. Flacius in opere Logic. lib. II. Apodict. c. VI.* sub finem: *diligentiùs autem, ait, consideranti rem apparet, necessarium esse, ut medium perfecta demonstrationis complectatur in se definitiones partium utriusque extremi. Cum enim propria accidentia propriam rei essentiam consequantur, manifestum est, causam affectionis latere in definitione subjecti.* Hic quidem dictus Autor in eo nobiscum sentit, quòd (1.) medium demonstrationis potissimæ definitionem majoris extremi complecti statuit. Quod verò (2.) illud ipsum potissimæ demonstrationis medium semper subjecti definitionem continere asserit, in eo nobis multum adversatur. Quid enim sic de illa demonstratione dicendum erit, cujus medium procedit ex causa aliqua externa? An hanc & similes non agnoscat pro veris?

§. 43. At verò dictus autor ipse *cap. VII. loc. cit.* demonstrationem, quæ eclipsis de luna demonstratur per interpositionem terræ, pro genuino demonstrationis exemplo habet, dicit tamen, etiam eclipsin ipsam lunæ naturam & essentiam consequi quidem, non tamen sine adminiculo causæ externæ. Verùm quòd luna obscurari & lumine privari potest, causam esse ipsam

ipsam lunæ naturam, quæ non suô, sed lumine à sole velut
haustô fulget, possumus quidem concedere, cum enim luna
secundum sui ipsius naturâ propriô lumine destituatur, apta
est tum lumen, tum privationem luminis recipere. An autem,
quòd luna *actu ipsô* obscuratur, itidem ex ejus natura & essen-
tia, accedente & cooperante causâ externâ, proveniat, non
dicimus, cum causa, ex qua fuit potentia obscurandi, non sit
confundenda cum ea, quæ actûs obscurationis causa est. Un-
de ipsius obscurationis actûs causam adæquatam putamus ef-
se interpositionem terræ, sine adminiculo causæ externæ. Ne-
que obstat, quòd causa actûs præsupponat causam potentie
obscurandi; neque enim illa statim causa, quam adæ-
quata passionis causa præsupponit, cum ipsa adæquata causa
conjugi debet. *Et si autem omnis actus præsupponat duô principia, &
causa externa internum principium, tamen hæ res diligenter inter se
sunt distinguenda &c.* Sunt verba sæpius *Laudati Neld. in usu org.*
Arist. 4. cap. capituli 4. partis princip. III. p. m. 197.

§. 44. Quam opinionem foverint *Lynconiensis & D. Tho-
mas*, legi potest in *Javelli compend. Log. tract. XI. c. XIII.* Et qui-
dem *Lynconiensis*, medium in demonstratione semper subje-
cti definitionem esse arbitrati, fundamentum non adduci-
mus, quia nullô id refellitur negociô. Ipse autem *Compen-
dii autor Thomam* (cum quo etiam facit) rectius statuisse do-
cet, utpote qui medium demonstrationis velit esse definitio-
nem tam subjecti, quàm passionis. Et hanc assertionem du-
plicem posse admittere sensum, existimat ibidem. *Primus, in-
quit, sensus est, quòd utraq; diffinitio non ut distincta, sed ut quid ag-
gregatum ex utraq; sit medium. v. g. medium ad demonstrandum risi-
bile de homine sit hoc totum; animal rationale aptum natum videre,
cujus quidem pars prima est diffinitio hominis, pars autem secunda
est diffinitio risibilis. Sunt igitur aliqui, hoc totum esse verum me-
dium, & hanc esse mentem Aristotelis & B. Thomæ; Hunc autem
verborum sensum rejiciens alterum adducit: Relictâ igitur,
pergit, hæc opinione, advertit, quòd sensus prædictæ propositionis ta-
lis est: medium demonstrationis potissima est utraq; diffinitio, subjecti
scil. & passionis, non ut aggregata, sed ut distincta & quodam ordine.*

§. 45. Igitur secundum *Javelli* mentem, uti ex subsequen-
tibus

D

ribus manifestum est, v. g. risibile demonstrabitur de homine
primū per definitionem passionis h. m. O. aptum natum ri-
dere est risibile. O. homo est aptus natus ridere. E. O. homo
est risibilis. Et sic demonstratum esse putat per definitionem
passionis. Quia verò minor Syllogismi hujus est mediata, al-
terum formandum esse Syllogismum ait, in quo deinde p̄ a-
ptum natum ridere demonstretur de homine h. m. O. ratio-
nale est aptum natus ridere. O. homo est ration. E. O. ho-
mo est aptus natus ridere. Et sic demonstratum esse dicit per
definitionem subjecti.

§. 46. Sed hæc opinio quod absurda sit, cuilibet patet.
In eo enim non exiguus committitur error, quòd per defini-
tionem passionis intellectam voluit definitionem ejus essenti-
alem, non facta mentione causæ, à qua affectio suam derivat
originem. Huic enim definitioni passionis in ejus demon-
stratione non dandum esse locum, (cùm sic idem ostenderetur
inesse per se ipsum) diximus §. 35.

§. 47. *Francis. Murcia in Curs. Phil. super lib. 2. Arist. de poster. Resol. disp. II. quest. XI. mens est, quòd, quando demōstratur prima passio de subjecto demōstratione propter quid, mediū tūc debeat esse definitio subjecti. Et in hac conclusione, inquit, omnes convenire, quia prima passio non potest demonstrari à priori, nisi per essentiam, quæ explicatur per definitionem subjecti, non verò per aliam passionem, quia ante primā passionem non est dare aliam priorē. E. quando demonstratur prima passio de subjecto demōstratione propter quid, mediū debet esse definitio subjecti, non passionis.*

§. 48. Dubio autem procul per passionem primam h. l. intelligit eam, quæ cum ipsa rei, cujus est passio, essentia im-
mediate connectitur: per secundam autem passionem intelli-
git, ut puto, eam, quæ cum prima connectitur, eamque pro
causa agnoscit. Videatur de hujusmodi passionibus *Franc. Suarez disp. Metaph. III. sect. III. num. VII.* Verum (I.) si dicti au-
toris mens est, nullam dari demōstrationem, nisi in ejusmo-
di passionibus, quæ se invicem consequuntur, errare eum pu-
tamus, quia multa demōstrationis exempla hæc passionum
connexionem non gaudent. Concessō (II.) passionem primam de-

demonstrari per essentiam subjecti, (hoc enim non impugna-
mus) si tamen *Murcia*, illam essentiam tunc ut subjecti, non ut
passionis definitionem sumi autumat, itidem erroris eum ac-
cusamus, ob rationem §. 27. adductam.

§. 49. Secundò idem dicit, quòd, quando demonstratur
secunda aut tertia passio de subjecto in illa demonstratione
medium posse esse definitio tam subjecti quam passionis pri-
mæ, per quam secunda aut tertia demonstratur. Quæ con-
clusio secundùm ipsum duas habet partes: *prima est*, quòd in
tali demonstratione, ubi secunda aut tertia passio demonstra-
tur de subjecto, medium possit esse definitio subjecti. Pro-
batur ab ipso, quia risibile non est prima passio hominis, eò,
quòd supponat admirativum, & tamen hoc risibile optimè
demonstrari ait per definitionem subjecti h. m. O. animal ra-
tionale est risibile. O. homo est animal ration. E. O. homo
est risibilis. Secunda verò pars conclusionis est, quòd etiam
in demonstratione propter quid, quâ demonstramus secun-
dam aut tertiam passionem de subjecto, medium possit esse
definitio primæ passionis, h. m. O. animal aptum admirari
est risibile. O. homo est animal aptum admirari. Ergò.

§. 50. Quod primam conclusionis partem attinet, in eo
jam non erimus solliciti, an essentiam hominis prius conse-
quatur π admirativum, quam π risibile, hòc tamen positò,
quòd π admirativum esse immediatè consequatur essentiam
hominis, ex eo autem, quòd homo est admirativus, sequatur
demum, quòd sit risibilis, dicimus tamen (I.) quòd minus re-
stè risibilitas, tanquam secunda passio per essentiam hominis
demonstretur, quia demonstratio procedit ex causa, propter
quam res est: jam verò non præcisè essentia hominis, sed π
admirativum esse est causa, propter quam homo est risibilis,
(positò, risibile non ex ipsa hominis essentia immediatè, sed ex
admirativo fluere) ipsa verò essentia præcisè causa est, pro-
pter quam homo est admirativus. Dicimus (II.) quòd per de-
finitionem subjecti *Murcias* intelligat totam ejus definitio-
nem, quæ an mediū locum possit subire, videatur §. 28.

§. 51. Alteram conclusionis partem quod concernit, quâ

statuitur, quòd, quando secunda vel tertia passio demonstra-
tur per primam, medium quoque possit esse definitio primæ
passionis, rationem hujus rei si peteremus, dubio procul re-
sponderet *Murcias ex lib. II. top. c. II. §. IV. quia definitionem li-
cet ponere locò definiti.* Si igitur per primam passionem de-
monstranda est secunda, utique locò primæ licet ponere ejus
definitionem. Verùm neque de hoc jam nobis erit sermo, an
locò medii termini liceat ponere ejus definitionem; sed con-
troversia est, an medium illud (sive medium ipsum, sive defini-
tio ejus adducatur) sit & sumatur ut definitio majoris extremi
seu passionis de subiecto demonstrandæ, de quo *Murcia* nihil
addit.

§. 52. Devenimus tandem ad tertium propositi nostri
membrum, visuri, quòdnam ex quatuor causarum generibus medi-
um demonstrationis esse queat? Monemus autem primùm, non
omnem demonstrationem fieri ex causa in rigore sic dicta, h.
e. tali, quæ propriè sit efficiens. Militar enim hîc distinctio
causæ notissima, suppeditata à *Cajetano in comm. in lib. I. post. c. 2.*
ubi altera ipsi dicitur *causa in essendo formaliter*, altera verò *cau-
sa in essendo virtualiter*. Ipsa autoris verba, quia nota sunt, o-
mnia apponere nolimus. Et demonstrationem procedere
tum ex causa in essendo formaliter tum virtualiter, dicit ibi-
dem. Quâ ratione etiam de Deo immortalitatem demonstra-
ri posse putat per immaterialitatem. Eodem modò attribu-
ta entis, utpote quæ ab eo non nisi ratione differre ostende-
runt alii, de ipso ente demonstrari statuunt autores. Videat-
ur *Suarez. disp. Metaph. I. sect. II. num. XXVII.* Item *disp. III.
sect. III. num. VII.* Declarat autem Aristoteles demonstra-
tionem per causas rigidè sic dictas, non, quòd secus esse non
possit, sed quòd ista, quæ est ex causis in essendo formaliter,
sit usitator.

§. 53. Ipsam quæstionem principalem quòd concernit,
sicut in præcedentibus, quoad fieri potuit, vestigia Aristote-
lis legimus, ita & nunc legemus. Verba autem *lib. 2. post. c. XI.
c. 48.* hæc habentur: *ἐπεὶ ἡ ἐπίστασις οἰόμεθα, ὅταν οἰδῶμεν τὴν αἰ-
τίαν, αἰτίαν ἢ πρὸς αἰτίας· μία μὲν τὸ τί ἢ εἶναι, μία ἢ τὸ πᾶν ὄντων
ἀνάγκη.*

ἀνάγκη τῶν εἰναι ἕτερα ἢ, ἢ τις πρῶτον ἐκίνησε τῆς ἄλλης ἢ, τὸ τινος
 ἕνεκα πᾶσαι Διὰ τὸ μὲν δεικνύσθαι. i. e. Cum autem scire putamus,
 quando causam cognoscimus, cause verò quatuor sunt, una quid erat
 esse; (intelligit causam formalem) altera, quam necesse est esse
 quibusdam existentibus; (intelligit materialem) alia verò, qua pri-
 mum movit; (intelligit efficientem) quarta verò id, cuius gratiâ;
 (intelligit finalem) omnes hæc per medium demonstrantur: i. e. o-
 mnes hæc ut medium demonstrant. Est enim genus hoc lo-
 quendi, quale illud poeticum: date clasibus austris, h. e. da-
 te classes austris, uti exponit Mich. Piccartus in org. Arist. p. m. 691.

§. 54. Videtur hinc Aristoteles innuere, quod medium
 demonstrationis interdum possit esse causa affectionis forma-
 lis, interdum materialis, interdum efficiens, interdum verò fi-
 nalis. Verum paulò attentius rem considerantibus medium
 non nisi externam, efficientem scil. & finalem, majoris extre-
 mi causam esse, patebit. Formam enim majoris extremi quod
 concernit, notandum, quod per formam h. l. non intelligatur
 forma substantialis vel altera pars compositi, quæ cum mate-
 ria, quam informat, constituit ens per se, qualis est anima; sed
 intelligenda venit hinc cum primis forma accidentalis, quæ est
 accidens consideratum in abstracto constituens cum subjecto
 unum per accidens, qualis est albedo, quæ h. m. dici potest
 forma corporis albi. Et de tali forma cum primis jam nobis
 sermo est, quando de causa formali majoris extremi quæritur.
 Quia verò ejusmodi forma est ipsa accidentis natura & essen-
 tia, est enim ejus genus (conferat. §. 23.) in ipsius accidentis de-
 monstratione non potest ut causa accipi, cum sic idem per se
 ipsum demonstraretur, quod esset τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, ut si
 quis nubes tonare demonstraret, quia sonus fit in nubibus.

§. 55. Fieri quidem posse, ut affectio per causam forma-
 lem demonstraretur, non negamus, sicut v. g. risibilitas per ra-
 tionem; sed tunc medium tale non majoris seu affectionis,
 sed ipsius subjecti, de quo demonstranda est affectio, causa
 formalis est; affectionis autem idem causa est non quidam for-
 malis, sed efficiens. Et si regeritur, quod, si causa formalis
 sumatur ut efficiens, sequatur, formam agere, quod absur-
 dum:

dum: agere namque est dare alicui esse, non se ipsum aut propriam suam, sed numero saltem diversam entitatem ipsi communicando: (Vid. *B. Stahl. in regg. phil. tit. III. reg. XVI. §. 4.*) At forma dat esse rei, cujus est forma, per se ipsam, non producendo aliam entitatem. E. forma non agit, nisi causarum genera distinctissima inter se confundere velis: Respondemus, genera causarum propterea non commiscuntur, forma enim ut forma, seu, ut est causa formalis, non agit. Quod vero interdum ea agit, sicut v. g. anima, utpote quæ forma est, agit, tunc illud munus exercet, non ut formalis, sed ut efficiens causa. Neque Philosopho absurdum est, quod causæ interdum possint coincidere. Adducimus locum ex *lib. 2. de anim. t. 36.* ubi animam in triplici causarum genere causam esse ait Arist. efficientem nim. finalem & formalem.

§. 56. Ad testimonium igitur Aristotelis, qui medium quoque τὸ τί ἦν εἶναι seu causam formalem esse posse asserit, responderi solet, quod Aristoteles loc. cit. appellatione formæ quamcunque causam, sive ea efficiens, sive materialis, sive finalis sit, comprehensam velit. Fundamentis sententia hæc innititur seqq. (I.) quod Aristoteles, postquam singulas ex quatuor causis demonstrationis medium esse posse asseruit, exemplis rem postea declarans de forma separatim nihil amplius dicat, sed tantum efficientis, materialis & finalis causæ exempla adducat, quia nim. censuit, singulam per has tres causas factam demonstrationem esse per formam. (II.) quod philosophus, postquam ab initio *textus 49.* exemplum demonstrationis per causam materialem apposuit, subjungat hæc: τὸ τί ἦν εἶναι τὸ τί ἦν εἶναι. i. e. hoc autem idem est, "quod quidditas (h. e. causa formalis.) Quibus verbis luculenter innuitur, idem esse, demonstrare per causam materialem & per τὸ τί ἦν εἶναι seu causam formalem. Vid. *Zabar. lib. II. de Med. Dem. c. VI. & VII.* Eadem est opinio *Mich. Piccarti in organo suo Aristoteleo in post. Ana. lib. II. c. XI. p. m. 689.* proposita ibi quæstione, quid per formam h. l. intelligatur, subjungit: *nam hæc formæ nomen accipit (philosophus), quicquid definitionem ingreditur, definitio enim quoque est λόγος τὸ τί ἦν εἶναι.*

§. 57. Difficultatem verò, quã parere videtur divisio illa quadrimembris *text. 48.* adhibita, ubi statuuntur quatuor causarum genera, & ea omnia demonstrationis medium fieri posse asserantur, tollere conantur *autores* ex eo, quod *philosopho* h. l. non sit propositum, omnes quatuor enumeratas causas propriè acceptas pro demonstrationis medio venditare, sed solum ostendere velle, quatuor quidem causarum genera ingredi demonstrationem, quãdam verò propriè, ut efficiens & finalis, quãdam minus propriè, ut formalis & materialis causa. Docemus igitur ex *Arist.* unamquamque illarum quatuor causarum accommodatam esse, ut demonstrationis medium fiat, non, quòd simul omnes aut plures unius & ejusdem effecti cause esse possint, cum unius effectus unica tantum sit adequata, teste secundum *Arist. Averroe 2. post. 17. cont. 95. & quest. 3. causa; si enim due ponantur, & c.* Due enim externa causa propriè accepta medium fiunt; due verò interna non nisi impropiè. Sunt verba *Fortun. Crellii part. prop. lib. 1. de Demonst. c. XI.*

§. 58. Et sanè quærèti, quã ratione quove intuitu v. g. efficiens possit dici forma, responderi posset: quia ea in definitione accidentis illius, quod de subjecto per causam demonstratur, præcipua pars est & definitio. *Conf. §. 21. & 24.* Sicut ergò in corporis naturalis constitutione præcipua pars est forma, ita etiam hîc in definitione accidentis præcipua pars, (hæc autem est causa) solet dici forma. Quævis ergò causa, per quã passio demonstratur, quæque in definitione ejus præcipuam sibi vendicat sedem, h. l. formæ nomine intelligi videtur.

§. 59. Materiam quoque propriè loquendò demonstrationis medium non posse fieri, facile liquet. Sicut enim forma strictè sic dicta tale medium esse nequit, sic neque materia in rigore sic dicta. Quia enim materia talis solarum substantiarum est, constituit enim alteram compositi partem, ideò valdè deciperetur, qui eam passionis materiam esse crederet. Et licet itidem evenire posse admittamus, per hujusmodi materiam accidens quoddam demonstrari, ea tamen materialis causa erit non accidentis, sed ipsius subjecti. Quòd verò *Arist.* materiam quoque pro medio agnoscit, dicit *Zab. loc.*

loc. cit. per materiam h. l. nihil aliud intelligi posse, quam ipsum illud subjectum, de quo accidens demonstratur; accidentis enim, quod demonstratur, nulla alia assignari potest materia, quam subjectum tale, cui inest. Sicut v. g. eclipsi habet materiam ipsum lunæ corpus, risibilitas materiam habet ipsum hominem, in quo ea est, cum non materia illa, quæ alteram hominis essentialem partem complet, sed totus homo risibilitatis materia sit.

§. 60. Sed quia hocce primò intuitu difficile intellectu esse videtur, cum quidem tale subjectum demonstrationem semper ingrediatur, neq. tamen medii & causæ, sed minoris extremi vicem subeat, notat ibidem, quòd hoc non ita sit intelligendum, quasi subjectum totum possit esse medium, sed tantum secundum aliquam sui partem, quatenus nempe in eo subjecto ipsa quoque accidentis causa, à qua accidens provenit, inest. Quæ quidem causa interdum potest esse ipsa *subjecti forma*, ut cum risibilitatem de homine per rationem demonstro; interdum ipsa *subjecti materia*, ut cum quantitas de corpore naturali demonstratur per materiam; interdum verò aliud *subjecti accidens*, ut si quis mensurabilitatem demonstraret per divisibilitatem. Causam verò talem ab Aristotele *materialem* dici existimat *Fortun. Creltius part. prop. lib. I. de demonst.* quoniam ex ipsa natura subjecti, quod accidentis materia est, desumitur. Quia ergò subjectum materia accidentis est, illud autem, à quo accidens producitur, illi subjecto internum & essentialè est, rectè ex ipsa materia sive subjecto productum dicitur accidens. Materia igitur h. l. improprie sumi dicit, cum demonstrationis medium appellatur, & causa talis, uti patet, proprie loquendò nulla est alia, quam efficiens.

§. 61. Hic observari potest, quòd solum accidentia interna ex materia d. m. explicata fluere queant, uti manifestum est in exemplis paulò antè allatis; illa enim accidentia, quæ à causa externa dependent, ex materia tali non dicuntur fieri, sicut constat de eclipsi, cujus causa non est in ipso subjecto, luna scilicet, ita ut vel lunæ forma, vel ejus materia, vel aliud

aliud quoddam lunæ accidens eclipsin producat. Exemplum à *Crell. loc. cit.* subjunctum reperimus tale: quod pellucidum est, illud lumen transmittit. Vitrum pellucidum est. E. lumen transmittit. Talis etiam causa ibid. dicitur esse hæc, cum Iuminis in orbem accretio de luna per figuram Sphæricam demonstratur.

§. 62. Et ex materia sic explicata deduci posse videtur ratio appellationis, quâ *Arist.* causam hanc materialem indigitavit, dicens: *μία ἡ, τὸ τινῶν ὄντων ἀνάγκη τῆς εἶναι.* i. e. altera verò, quam quibusdam existentibus *neesse* est esse, (scil. causam) si enim causam materialem dictò modò quis explicet, manifestum esse videtur, Aristotelem cit. verbis nihil aliud intendisse, quàm *alteram illam causam* (materialem scil.) esse, quâ posita *neesse* sit affectione esse, sicuti posita rationalitate *necessariò* ponitur risibilitas, posita materiâ, *necessariò* ponitur quantitas, posita extensione, *necessariò* ponitur divisibilitas. Varii quidè varias afferunt verborum horum explicaciones, sed omnes silentiò præterire iubet. Videantur *interpretes.*

§. 63. Quodque per necessitatem materiæ *Arist.* nihil aliud intelligere queat, quàm id, quod diximus, evincere fatagit *Zab. ex text. loc. cit. 53.* ubi docetur, contingere interdum, ut idem effectus dependeat simul ex duabus causis, ex fine nempe & necessitate materiæ. Declarat hoc *philosophus* ibid. exemplò lucernæ inquiring: *Δὲ τί διείσι Δὲ τῆς λαμπτήρος Φῶς; cur permeat lucernam lumen?* Respondet jam: *etenim ex necessitate transit id, quod ex subtilioribus partibus constat, per majores meatus; siquidem lumen fit, quia permeat; item alicujus gratiâ, ne scil. offendamus.* Hic vitrum est subjectum, & per consequens materia transmissionis luminis, nec tamen vitrum est terminus medius, sed minus extremum; medium a. est accidens quoddam vitri naturam consequens, scil. porositas: & porositatem hanc *Arist.* materiæ necessitatem appellat, quia ex vitri seu materiæ natura porositas *necessariò* sequitur.

§. 64. Sed an omnia, quæ de causa materiali & formali ex aliorum sententia in re tam difficili dicta sunt, mentem

E

phi-

philosophi penitus exhauriant, iudicium sit penes eruditiores. Nos autem, ut plurimam hinc præscindantur difficultates, concludimus: quòd secundum Aristotelem omnia causarum genera possint esse medium demonstrationis, etiam materia & forma, licet habeant tantum rationem materiae & formae respectu minoris extremi, non etiam respectu maioris. Sunt verba B. Stablii in Instit. Logic. lib. V. de Demonstr. c. IV. §. 25.

§. 65. Materiam igitur & formam propriè loquendò non esse medium demonstrationis, dicimus. Quia enim demonstratio ordinatur ad cognitionem passionis per causam demonstrandam, materia autem & forma propriè dicta cum referuntur ad passionem, cuius causa dicuntur, tunc respectu eius non rationem materiae vel formae habent, ideò materia & forma propriè dicta non sunt medium demonstrationis.

§. 66. Illud insuper hac de re notari volumus, quòd, quando diximus, passionem provenire à causa interna, (sumtá causá interná, prout eam exposuimus supra §. XI.) philosophis passio talis dicatur effici per emanationem, vel, ceu alii loqui amant, per resultantiam naturalem, per fluxionem. Sic Scotus in lib. post. quest. LVI. ad locum quendam Aristotelis lib. 2. phys. agentis, causam materiale & efficientem non coincidere, dicit: hinc potest dici, quòd major solum veritatem habeat in transmutationibus, & hoc intendit Aristoteles in lib. 2. ph. sed definitio subjecti non est causa efficiens passionis per transmutationem, sed per quandam emanationem, & isto modo illud idem potest esse causa materialis & efficiens.

§. 67. De hac emanatione disceptari solet inter autores, an, quod hòc modo efficit, per veram ac propriam actionem agat? sunt, qui affirmant, sunt itidem, qui negant. Cajetano in Thome part. I. quest. LIV. artic. III. negativa placet. Zabarella quoque lib. II. de med. Dem. c. V. & lib. I. de motu grav. & lev. c. XI. causam talem impropriè dici efficientem statuit. Pro affirmativa rationes adducit Suarez. disp. Metaph. XII. Sect. III. num. III. & seqq. sed quæstionem hanc, quia pagellarum angustia id non permittit, jam non faciemus nostram.

§. 68.

§. 68. Restat ergò, ut dicamus, omnem demonstratio-
nem procedere vel ex efficiente, vel ex finali causa. Exem-
pla efficientis causæ superius adducta fuerunt passim: causæ
verò finalis exempla occurrunt alibi. Exempla causæ utri-
usque videantur apud *Philosophum*. Jam pedem figimus,
& DEO ter Opt. Max. agentes gratias rei hâc vice im-
ponimus.

FINEM.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

An Potentia diversis linguis loquen-
di in Apostolis fuerit naturalis?



Pereximio

Dn. M. JOH. KIESEWETTERO,

SS. Theologiæ Cultori strenuo, Fautori, Amico
atque *συνωίκω* dilectissimo

In Disputatione Philosoph. Præsidis spartam

egregiè ornanti S. P. D.

Quam scandis superam KIESEVETTERE Cathedram,
Comprecor ingenii clara palæstra fiet.

*Benivolentiori adfectui testando
adjic.*

Joh. Ern. Gerhardus, SS. Th. D.

& P. P.

Per *primas causas* res demonstrare laborans
demonstras animi grandia dona tui.

*Ita Amico & Conterraneo suo suavissimo
supremam cathedram conscensuro
gratul.*

**Günther von Griesheim/
Arnstad, Thur.**




AB: 67 $\frac{13}{e,7}$


ULB Halle

3

005 949 122







D. B. V.
 PHILOSOPHICA
 De
 TIONIS
 N SYLLO.
 DEMON-
 ATIVO,
 Quam
 stri Salana
 e & Spectatissima Facul-
 philosophica
 ASES
 S KIESEWET.
 rich. Thur.
 ondente
 OPHORO Hundeshagen/
 sinô Thur.
 rum examini exponit
 XIX Novemb.
 Philosophorum
 is solitis.

N Æ
 SII, Anno M. DC. LVII.

6

6

St. M. Colln

